

Q. B. V.

72

EXERCITIUM ACADEMICUM,
De

SERVITUTE SPONTANEA,

Quod

Ex consensu Ampl. Facult. philof. in Regia Academia Aboënsi,

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL

Eloquent. Profess. Reg. & Ord.
nec non h. t. RECT. MAGNIF.

Publica censura modeste defert

ADAM, GERH. SACKLINIUS

Boreas Finlandus.


Ad diem V. D. VII. Novembr. Anni MDCCLXIV.

Loco horisque consuetis.

A B O A E,

Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typogr.

2



INter ea, quæ menti humanæ aliis infide-
re comperimus, jure meritoque referre li-
cet studium libertatis. Prodit se hoc in i-
pſa puerili ætate, cui adeo jucundum eſt ex
proprio arbitrio agere, ut præterea ne ludi
quidem, nedum alia opera placeant. Quod
autem homines adulti, actionum rerumque ſu-
arum Domini eſſe velint, planius eſt, quam
ut indigeat probatione; nemine non, qui vel
cañillum liberalis eſt animi, ſervitutum, ut
ſtatum quam maxime calamitoſum, abhorren-
te. Docent hoc imprimis integri populi, qui
pro libertate vindicanda extrema tentare non
dubitarunt; cujus rei antiqua in civitatibus

Græcanicis, recentior vero in Belgio Fœderato historia insignia subministrat exempla. Quid ? quod etiam animalia bruta suo modo libertatem anhelent? Quodnam enim eorum non potius manet in statu naturæ suæ proprio, h. e. libero, etiamsi famem ac sitim aliquando experiri necesse foret, quam carcere inclusum cibo ac potu affatim saturaretur. Mirum itaque hominem, libertate, quam retinere posset ac tueri sponte se abdicare, ac servitutis jugum subire.

§. II.

NE autem quis existimaverit, nos omnem erga alios obedientiam proscriptam ire, monendum statim est, hic a servitute spontanea eximi obsequium DEO, magistratui aliisque, quibus id sane debetur, exhibendum. Ad ipsam enim essentiam libertatis pertinet obtemperare rationi, ut sine hoc ne concipi quidem possit vera libertas. Quod autem rationi sit conveniens, obedire DEO, magistratui aliisque obsequium a nobis jure exigentibus,
ut

Ubi initio pag: ^{nae} haec exstant verba: Quid? quod etiam de. conferat
 haec verba, cum illis quae ad calcem ^{fere} ejusdem paginae ita fere
 Ad ipsam enim etc. existimaverim ego unam saltem ex hisce pu-
 sitionibus falsam esse, quia posita ^{amb} utraq, falsum ac-
 surdum ^{aliquid} tandem deducitur, ut ex: gr. hoc modo. Animalia br-
 libertatem anhelant per hypothesein tuam ergo animalia br-
 essentiam libertatis anhelant, sequitur hoc esse indivulfe
 seu essentia rei cuiusdam cum infare. ergo animalia br-
 anhelant ut obtemperent rationi, quod tamen absurdum
 est, cum illis non competat ratio, multo ergo minus
 obtemperare rationi. Sum ergo ex hisce praemissis fe-
 tur falsum aliquid, sequitur ut una saltem earum
 fa sit.

Uterius hoc me movet, quod quoties fere in hisce
 bus pagellis occurrit vox libertatis, toties signifi-
 tus ejus mutatus fit. In pag: 1^{ma} per libertatem
 ligis jus agendi ex proprio arbitrio. Occurrit ite-
 haec vox initio pag: 11^{ae} ubi animantibus brutis trib-
 libertas, quo loco significat permanentia in statu pro-
 natura. differentia vero intercedit inter hanc atq, pu-
 notionem. haec enim notio omnibus creaturis tribui,
 prior vero illa animalibus tantum, quia in illa fa-

is facultatem appetendi. III^{ta} occurrit haec vox ad
aliam fere ejusdem pagi: -- ubi per libertatem in-
telligitur facultas ex pluribus actionibus distincte
cognitis eligendi quae nobis maxime placet. Haec vero
notio differt omnino ab utraque priori, Haec enim homi-
nibus spiritibus intellectu ac voluntate praeditis
tantum tribui potest, ubi altera omnibus anima-
bus, prima vero omnibus creaturis competere
possit. vides igitur tres differentes notiones vocis
libertatis impositae. Quae tamen regulis logicis
obstant.

ur extra controversiam constitutum, hic supponimus. Proinde ex illis, quæ de libertate modo sunt dicta, concludimus, quemlibet intantum esse liberum, in quantum in hisce juxta ac aliis rationis dictamina sequitur. Illis vero servitutem spontaneam tribuimus, qui illis parent, quibus parendum non esset.

§. III.

DUdum innotuit tria esse vitia cardinalia, ambitionem, avaritiam & voluptatem, quorum singula, quid valeant ad hominem servituti mancipandum, primum explicare conabimur. Prodeat itaq; in hoc ordine princeps, *ambitio*. Quot vero hæc servos effecit? Non autem illos jam intelligimus, qui innocuo obsequio se ad voluntatem ac nutum eorum componunt, a quibus commendationem justam, vel alia licita commoda expectant; id quippe secundum ante dicta fieri debet, sed hos nostra petit censura, qui per pravas artes, potentiorum favorem aucupantur. Serviant

mirum, qui humili ac parasitica assentatione
 aliorum gratia adreperere student, qui innocen-
 tes calumniari non verecundantur, modo sit
 hoc domino gratum. qui æmulos falsis crimina-
 tionibus opprimunt, ut subversis illis, quem
 ambiunt locum, obtineant. qui non ex æquo
 & iusto, sed potentiorum arbitrio, sententias
 dicunt & suffragia ferunt, atq; ut paucis me
 expediam; qui non solum vilia & indigna,
 sed etiam injusta & scelerata officia præstant il-
 lis, a quibus hoc modo honoris augmenta sibi
 cupiunt promereri.

§. IV.

Serviunt quoque voluptuosi. Ea namque ad-
 mittunt, quæ veram eorum felicitatem
 defruunt. Valitudinem nempe, bona & co-
 nstitutionem perdunt. Atque licet videant
 meliora probentque, blandissimæ tamen do-
 minæ voluptati obsequuntur. Quid vero hoc
 aliud est, quam servire? Nec vel durissima
 servitus plures & graviores importat calamita-
 tes, quam quibus multi eorum se reddunt ob-

noxios, in quos imperium exercet voluptas. Intrinseca hæc servitus, comitem habet externam. Quorum enim delicatulae gulae proprium non sufficit penu, hi servilem in modum adulantur, consiliarios jocosos agunt, & histrionicas exercent artes, ut pingvioribus mensis affidere liceat. Qui vero foeminarum amore capiuntur, nec illi multiplicem ac operosam colunt servitutum. Ad nutum enim earum se totos componere necessum habent; neque excogitari poterit officiorum genus, quod exigente amica, non non sit præstandum. Atque norunt cerere calidiora Glyceria artes, quibus in obsequio suo retineant clientes.

§. V.

TRia potissimum sunt, qui servorum conditionem afflictam reddunt & calamitosam, I. Victu si non parco, tamen vili admodum pascuntur. II. præduro vexantur labore. III. nullum vel exiguum prorsus fructum laboris capiunt ipsi, quum nihil sibi, sed dominis

6
tantum adquirent. Hæc omnia in *avaros* conveniunt. In summa rerum abundantia esuriunt saepe & sitiunt; saltem virtutem frugalitatis justos ultra limites nimis protendunt. Iidem asinino labore se excruciant, neq; animo neq; corpori quietem indulgentes. Nec sibi adquirere censendi sunt, quum bonis partis non utantur, sed ea tantum cumulant & custodiunt, quorum usus ad alios tandem perveniet. A quibus aliquid expectant lucri, hos non solum officiis affectantur, sed eorum etiam contumelias, imo verbera quandoque patienter ferunt. Atque ut paucis dicam: Conscientia, fides, sententia ac suffragia avari licitantium arbitrio serviunt.

§. VI.

Diximus §. II. ad libertatem pertinere, quod homines in agendo obediant rationi; quare qui excusso rationis imperio, affectuum impetu rapiuntur, quin a statu libero in servilem sint traducti, nullum omnino est dubium. Hæc servitus eo est periculosior, quo
plura

plura & graviora mala invehere solet. Hinc rixæ, verberationes, homicidia & aliæ pestes, quibus misere affligitur genus humanum.

§. VII.

JAm factò ad particularia magis progressu, ostendendum est, quomodo serviant homines diversi ordinis ac status. Hic primum occurrunt plebeji, qui maximam partem generis humani constituunt. Non autem nostrum est, considerare servitutem coactam eorum, qui rigidis dominorum subjacent imperiis; sed spontanea solum, quam sibi met ipsis multi imponunt, hujus est instituti. Serviunt in eo præsertim plebeji, quod per varias opiniones falsas ac superstitionas libertatem restringunt. Has longa successionis serie a majoribus traditas, addictius observant, quam divinas humanasque leges. Insidet enim animis error, quo putant mala qualibet impendere, si vel tantillum inde recesserint. Atque in populis etiam, per multa retro secula Christianismum professis, remanent istæ

paganismi reliquæ. Hæc stultitia infimæ plebi est propria. Datur alia eorum, qui, quum inferioris omnino sint sortis, tales videri nolunt, sed nobilium aliorumque dignitate eminentium, rationem vivendi, cultum & apparatus imitantur. Hinc fit, ut quæ sublimiori fortunæ reservata esse deberent, ad inferiora sublattia deveniant. Inepti isti æmulatores omnino serviunt, dum neglecta status & conditionis ipsorum ratione, alieno se subiciunt decoro. Quod si vanitati parum suffecerint opes, in extremam incidunt paupertatem. Quin etiam ad artes illicitas sæpe confugiunt. Hinc fallarii, peculatores, fures & alii id genus nequitix artifices existunt. Neque tamen soli ex plebe homines, huic servituti, & calamitatibus inde enascentibus, obnoxii sunt. Etiam alii, altiori loco positi, dum supra vires & facultates stulta imitatione serviunt, eadem experiuntur fata.

§. VIII.

Serviunt Eruditi. Quod philosophos attinet, multi eorum, qui hoc nomine salutari volunt, alienas duntaxat opiniones ac placita ample-

Ad DVIII^{am} pag: 8^{va} et 9^{na}

tribuis S. S. Hoc loco philosophis Romanis servit
frontaneam, de qua tamen hoc sequentem ob rati
liberare conabor. Ad philosophiam amplecti
injungebatur Romani, ob necessitatem hujus in
ministranda et conservanda republica. Injunctum
ergo illis erat, ut vel ipsi philosopharentur, vel
aliorum philosophica dogmata acciperent. Quia
vero aderat externa, scilicet negotia alia
civilia, quae impediabant, quo minus ipsi philo
sopharentur, restabat igitur ut aliorum dog
mata acciperent, vis ergo aderat externa quae
nollebat eos ad amplectenda dogmata aliorum
Ubi vero adest vis externa ad agendum deterr
ibi adest coactio, perdetur coactionis, nulla est
frontaneitas, cum sint contradictorie oppo
servitulem itaq; frontaneam Philosophis Ro
nis non tribuendam ^{est} has ob causas exis

[The text on this page is extremely faint and illegible, appearing as ghosting or bleed-through from the reverse side of the document.]

plectuntur, adeoque philosophiam, ut histo-
riam tractant. Nam vel eo non valent in-
genio, quo veritati investigandæ & exami-
nandæ sufficerent, vel debitam industriam
huic negotio adhibere gravantur, vel denique
prejudicio auctoritatis occupati, quem sequun-
tur ducem, tantam non infallibilem esse cre-
dunt. Apud Græcos olim varix erant sectæ,
quarum singulæ in sui magistri verba jurabant.
Philosophia ad Romanos translata, hi rerum
domini, Græcanica dogmata discebant potius,
quam examinabant; per multitudinem quippe
negotiorum civilium, non vacabat operose
philosophari. Plato deinde & Aristoteles de
imperio contendebant, multis illum, pluribus
hunc sectantibus, quem nonnulli credebant,
divinitus datum fuisse, ad revelandum omne
verum, cujus capax esset humanum ingenium.
Recentiori ætate tantum evaluit Cartesii aucto-
ritas, ut multi in eandem concederent. Nec
pauci nostro tempore Christiano Wolffio, fi-
dem & obsequium addixerunt. Taceo alios,
suis ducibus adherentes. Progredior ad Medicos,
eidem huic fato obnoxios. Quidam Hippocra-

ti, alii Galeno, nonnulli Paracelso se adjun-
 xerunt; quamvis Hippocratici in tantum hinc
 sint exiendi, in quantum experientiam ab
 Hippocrate tantopere commendatam potius,
 quam ipsum Hippocratem sequuntur. Pervenio
 ad Juris consultos, qui inde a longo retro
 tempore, neglecta jurisprudentia Naturali,
 Historia & saniori Politica, quæ disciplinæ ci-
 vilis Jurisprudentiæ sunt fontes, juri Romano
 atque Canonico, omnem operam impende-
 runt, interpretandis. Hinc vasta prodierunt
 opera commentariorum, quorum auctores se
 invicem fideliter descripserunt. Claudant a-
 gmen Theologi. Multi eorum certæ cuidam
 sectæ philosophicæ addicti, ejusdem placita in
 Theologiam transfuderunt. Quibusdam ex Pa-
 tribus in deliciis erat Plato, ut varia dogmata
 ab eo desumpta cum fide Christiana miscerent;
 unde enata est Theologia Mystica (phantasti-
 cam intelligo, non veram ex revelatione Di-
 vina oriandam.) Philosophiam Aristotelis male
 intellectam adoptarunt Scholastici, qua cum
 revelatione commixta, monstrum quoddam her-
 maphroditicum prodixerunt, h. e. doctrinam,
 quæ

quæ nec Theologia esset, nec Philosophia; sed aliquid ex utraque referret. Deinde nonnulli Cartesianæ dogmata inseruerunt in Theologiam. Nec ita pridem ad explicandam Confessionem Augustinam adhibita est Wolfiana Philosophia. Verum nec Philosophis tantum, sed sibi inter invicem serviunt Theologi. Qui enim Theologorum, variis jam sectis divisorum, scripta attentius consideraverit, facile deprehendet, multos eorum, in illis præsertim, quæ ad controversias pertinent, magis ad Principes propriæ sectæ eorumque auctoritatem, quam communi revelationis principium respexisse.

§. IX.

Serviunt Nobiles, & quidem falsæ interdum opinionioni, quæ existimant se ideo tantum super alios eminere, quia ab illis nati sunt, qui virtutibus & meritis inclaruerant. Nisi enim vestigiis majorum insisterint, adeo non honorificum est bene natum fuisse, ut id potius turpitudinem augeat, facta a natalibus degeneratione. Qui vero solis insigni-

bus turgent, quum nec propria nec majorum ostendere possunt merita, ne illi ad impudentiam usque serviunt. Huc pertinet eorum vanitas, qui ex apparatu solum externo se metiuntur solidioribus, unde vera hominis & civis praestantia aestimari debet, neglectis. Neque Magnates a servitute sunt immunes. In Monarchis praesertim vel primarii ministri injustis aliquando Principum desideriis velificantur, ut gratiam eorum retineant. Imo, foeminas observant, aliosque suum infra fastigium longe positos, quibus contigit singularis apud Principem gratia. In liberis vero civitatibus maxime serviunt, qui praeter ceteris dominari volunt. Ad hoc enim opus habent adminiculo multorum, quorum benivolentiam quibuscunque modis venantur. Quosdam familiari hospitalitate, alios muneribus, plurimos promissis adjungere sibi laborant. Atque ex hoc principio publice dispensantur beneficia. Satis copiosam exemplorum suppellectilem praebet Historia Graeca & Romana. Instar omnium esse poterunt, quae de Julio Caesare in vita ejus commemorat Plutarchus.

§. X.

Serviunt aliquando Principes. Quum & illi sint homines, iisdem cupiditatibus & affectibus obnoxii manent, atque ceteri mortales. Verum quo validior est Principum potestas, & quo magis ab omni coercitione humana sunt exempti, eo hæc mala in illis liberiore impetu ruere, & graviori cum effectu se exonerare possunt. Qui ambitioni subjacent, bella ex bellis ferunt & magni orbis turbatores evadunt; suam quippe magnitudinem non ex populi, cui præsumunt, felicitate, sed sola imperii amplitudine metiuntur; quantum ipsi aliis, tantum his, imperante ambitione. Voluptuosi, republica ministrorum ambitioni & avaritæ relicta, ab eorum nutu pendent, & quam imperare videantur, alieno arbitrio serviunt. Nonnulli foeminis nimis obtemperant, ex placito earum, favorem, beneficia ac munera publica distribuentes. Quidam sacra mutarunt, ut foeminis gratificarentur, quod de Salomone regum sapientissimo constat, a conjugibus paganis ad idololatriam seducto. Nec desunt, qui insti-

gan:

gantibus fœminis, tyrannidem exerceverint. Qui avaritiæ serviunt Principes, civium succum & sanguinem exsugunt, & ita ditescunt ipsi, ut fontes publicæ opulentæ exarideant. Affectuum denique imperio obsequentes, ad extrema qualibet & horrenda facile prorumpunt, quorum sera eos deinde subit pœnitentia. Serviunt etiam Principes, qui existentibus in republica factionibus, uni earum se adjungunt; tum quippe, dicente Werulamio, fiunt quasi unus ex nobis, h. e. regiam auctoritatem perdunt, atque factioni suæ parere necessum habent. Id Carolus Iam Angliæ regem perdidit. Multi etiam Principes serviunt Pontifici Romano. In illum enim magnam partem majestatis juriumque imperii resignaverant, eidemq; se vedigales fecerunt. Quam vero acerbum in Principes imperium olim exerceverit Papa Romanus, satis docet historia. Et quamvis hæc potestas arctioribus jam limitibus circumscripta sit, quod ipsi Catholici Principes protestantibus debent, non tamen omnino est sublata. Neque enim plenum jurium majestaticorum exercitium consistere potest cum papismo. Miserrima vero est servitus,

vitus, quæ Principes Clero papistico & sanguinolentis ejus consiliis obtemperant, ad cives innocuos religionis causa persequendum. Mito, quæ Ferdinandus Catholicus in Mauros ac Judæos admisit, quo facto Hispaniam civibus evacuavit. Sequiori autem tempore, post factam reformationem, plurima hujus crudelitatis exempla exstant per varia Europæ regna. Ut cætera mittam, vel sola Parisiensis laniena sat horrore incurrere potest. Quid sub Ludovico XIV. in Gallia factum sit, satis constat. Atque circumneunt semper in cute vulpina Jesuitæ, leonum rugientium instar, quærentes quæ devorent.

§. XI.

Serviunt populi. Quidam enim peregrinis utuntur legibus, quod semper fuit indicium servitutis. In variis Europæ regnis ac civitatibus obtinet Jus Romanum, non quidem, vi & coactione externa obtrusum, sed usu & consuetudine receptum. Nimirum, quum inde a seculo XIV. plures per Europam conderen-

derentur Academiae, ~~atque~~ Juris Civilis Professores in illis constituti, Romanum duntaxat interpretarentur, legum consuetudinumque patriarum plerumque inguari, factum est, ut eorum discipuli, partim ad aulis admissi, quam ipsi haulerant disciplinam commendarent, partim juri dicundo vel causis agendis admoti, eandem sensim foro interrent. Sic leges tandem Romanæ auctoritatem ordinarii Juris adquebantur. Atque existimarunt multi, tantam esse earum perfectionem, ut nihil melius inveniri possit. Sed res ipsa aliud docet. Quædam enim in corpore isto Juris occurrunt, adeo obscura, ut verum eorum sensum se vix reperire fateantur, qui ætatem in hisce studiis consumserant. Nec pauca dantur sibi in invicem contraria, quibus collectis, viri eruditi integros confecerunt Antinomiarum libros. De cæteris plurima Reipublicæ Romanæ ita sunt accommodata, ut in alia apte omnino applicari nequeant. Hinc non potest non Themis illa peregrina, populis, apud quos locum invenit, multa parere incommoda; præsertim artium rabulisticarum enorme exerciti-

tionem litium, & miserum iudiciorum fatum induxit, quo non ex determinatione legum, sed iudicium arbitrio causarum exitus penderet; quæ omnia viri prudentes & cordati sæpe acerbis deplorarunt querelis. Conf. Hottomannus in Antitriboniano. In illis etiam civitatibus, ubi etiamnum remanet papismus, obtinet quoque Jus Canonicum. I. Pontificium, quod ad Monarchiam Papisticam ejusque rationem status totum est comparatum. Quemadmodum enim papismus ex nativa sua indole multum decerpit de libertate populorum, in quantum nempe eos Romano Pontifici subiectos reddit ac tributarios, ita servitutem hanc asserit & confirmat alieni istius Juris observantia. Id vero mirum, illis quoque civitatibus, qui jugum papisticum excusserant, retineri Jus Canonicum, si non totum, saltem quæ partem, quod ad servitutis papisticæ reliquias omnino est referendum.

Præterea serviunt populi, qui artes manufacturas & commercia, ex illis enascentia, negligunt. Nam quot apud populum æconomicum opifices & mercatores illis conficiendis, transpor-

tandis ac divendendis mercibus vivunt, quas emit & consumit natio œconomiz incuriosa, tot hæc illi sustentat cives, imo plures, considerata politica illa circulatione sanguinis. Et quantum merces elaboratur, pretio exsuperant rudem, ex qua efformatur sunt, materiam, addita æstimatione peregrinæ vecturæ, tantum cedit lucro artificii populi, atque perinde est, ac si tantundem ei vectigal solveret alter, ab œconomia imparatus. Sic vasta illa auri atque argenti vis, quæ ab India Occidentali ad Hispanos pervenit, deficientibus apud eos artibus manuariis, ad Gallos, Anglos & Belgas transit, ut Hispani divitiarum istarum vectores potius ac distributores fuerint, quam possessores. Eidem tanto inde a longo retro tempore obnoxia fuit Patria. Nostrum enim ferrum, picem, trabes aliasque opes cum peregrinis artium manuarum effectibus commutavimus, adeoque tot cives exteris aluimus, quot validum possent constituere exercitum, tantumque illis pendimus tributum, quantum vix publico arario sit illarum. Sed his malis mederi ceperunt Regni Ordines, & alii, quibus cordi est publicæ salus. Successum addat cœptis Governatrix providentia!

Re-

Restat adhuc servitus quædam populorum, & illa quidem subtilior. Nimirum Galli magisterium detori dudum sibi vindicarunt in Europa, quod etiamnum exercent, ut quod ipsorum conveniat moribus, id elegans ac civile, quod ab illis desleclit, ineptum ac barbarum plerumque habeatur. Nec formulas tantum conversationis, sed vestitus ac mundi muliebri ornatuque & cultus omnis ab illis plures accipiunt populi. Atque ad genium & gustum Gallicum se adtemperat orbis, haud secus ac milites duci mandanti obediunt. Hinc est, quod ex variis Europæ regnis, nobiles & alii, faventiori mercurio utentes, in Galliam profiscantur ibique commorentur, ut mores & elegantiam gentis istius perdiscant, quo major numi copia in regnum illud confluit, quam quæ ex amplissimarum regionum colligitur tributis.

§. XII.

Servit denique aliquo modo Europa, Multas namque merces ab India Orientali adportant Europæi, quas non commutatione mercium aliarum, sed

nu-

numerata pecunia, vel tradito potius auro ac-
 que argento sibi adquirunt. Hæ res vel sunt
 opera artis, vel varii generis aromata. Quod
 artis effecta attinet; de illis valet, quod §.
 præcedenti diximus de pretio peregrinarum fabri-
 carum, rationem vestigalium induente. Aro-
 mata vero ista, si non omnia, saltem qua ma-
 ximam partem talia sunt, ut iisdem facile care-
 re possimus. Nec dubium, quin Europa ferat
 æque lapida ac salutaria, quæ in locum isto-
 rum commode substituerentur, nisi forderent,
 quia sunt in propinquo. Id certe constat, u-
 sum eorum, si quis esset, in abusum degene-
 rasse, quod imprimis affirmandum est de herba
 Theè, & fructu arborum Caffè dicto, quibus
 deliciis homines infimæ sortis jam fruuntur, &
 quarum proinde immensa vis per Europam con-
 sumitur. Parum itaque abest, quin ad hæc
 merces redimendas tantum auri ac argenti in
 Orientem transmittatur, quantum advehitur ab
 Occidente. Quare Europa subegit Occidentalem
 Indiam, ut Orientali seruiat.

TANTUM:

••• (o) •••